



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

3. An Pontifex possit dispensare in his, quæ statuta sunt à jure Canonico positivo? Et an possit Pontifex dispensare in legibus Episcopi, & aliorum Prælatorum; imò & in Concilio includenti ipsum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

4. Sed his non obstantibus, Theologi profus contrariam sententiam tenent, quos citat, & sequitur Casus Palaeus tom. 1. tract. 3. disputat. 6. punct. 3. num. 5. & ratio est, ait illic, quia Pontifex non habet hanc potestatem, nisi à Christo Domino illi sit specialiter commissa. At hæc commissio non constat, Primò, ex filis verbis: *Quodcumque ligaveris super terram*; tam quia illa verba nimis generalia sunt. Ex verbis autem ita generalibus non debet inferri concessio rei ita grauis, & extraordinaria; quia propter eius grauitatem specialem concessionem desiderabat. Quocirca nunquam intellexerunt Pontifices illis verbis esse talem potestatem concessam, alias sæpè vñ illa fuissent, sicuti vtuntur alijs potestati- bus sibi datis, quasque habere agnoscunt. Item hæc potestas non cadebat in ædificationem Ecclesie, sed potius in illius destructionem; destruebat enim veritatem, & firmitatem Ecclesie: Ecclesia enim per totum orbem terrarum est vna, non solum in articulis fidei, sed etiam in religioso cultu, qui in sacrificiis, & Sacramentis continetur; si igitur hic religiosus cultus variari posset decursu temporis, vix vnitas Ecclesie agnosceretur. Adde Christum Dominum nulla alia præcepta positiua Ecclesie imposuisse, præter illa quæ pertinent ad fidem, & ad Sacramenta, & sacrificia, si igitur in his admittatur dispensatio, faciliè Ecclesia corrumpere poterit, cum eius fundamenta corruant. Denique nulla potest cogitari causa legitima dispensandi in aliquo præcepto diuino, quæ in omnibus præceptis locum non habeat: at concedere potestatem dispensandi in omnibus, videtur Ecclesie vnitati & stabilitati omnino perniciosum. Ergo etiam videtur perniciosum concedere potestatem dispensandi in quolibet ex his præceptis diuinis. Maiorem probo exemplis. Sæpè contingit casus, vt ob defectum aquæ paruulus absque Baptismo moriatur; sæpè, vt Sacerdos non adit absoluen- do. Poterit ergo in his casibus dispensare, vt aqua rosata pro naturali apponatur; & laicus nomine Sacerdotis absoluat? Absit. Item in aliqua religione esse potest summa penuria tritici, in alia vini. Dispenset ergo Pontifex, vt in pane hordeaceo, vel in ficera consecretur? Item ex obseruatione sigilli Confessionis, graue damnum Sacerdoti; vel Regno imminere potest. Dispenset ergo Pontifex in tali præcepto? Quod si in his, & alijs dari non possit dispensatio, in nullo præcepto diuino est concedenda; quia firmitas horum præceptorum magis expedit Ecclesie, quam quælibet alia causa, quæ pro dispensatione illorum excogitari potest. Et hæc omnia docet Palaeus *ubi supra*; cui ego addo Merollam tom. 2. disp. 4. cap. 6. dub. 10. per totum, omnino videndum.

Sap. hoc supra ad me-
dium, §. 2.
huius Ref.
Verf. Primo.
&c.

5. Restat modò respondere ad argumenta contraria superius posita, & ad obiectionem de Ministro Confirmationis; assero, vel institutionem Christi non fuisse omnino imitatum ad Episcopum, sed cum illo addito, quod ponunt Concilia, ordinarium ministrum esse solum Episcopum: vel certè in eo casu specialiter concessit Deus potestatem dispensandi, vt colligi videtur ex vsu, & traditione Ecclesie, non vero in alijs: in exemplo vero de residentia, Sor. 13. *Institu. quest. 3. artic. 4.* sentit tantum posse id fieri per modum interpretationis: aliqui illum reiciunt, quia tunc reuera pollicitur obligatio, quæ inheret; ergo illa non est interpretatio pura, sed materia mutatio: nam illa non esset obligatio iuris diuini positiui, sed naturalis, in quod non cadit dispensatio, sed materia mutatio, qua facta cessat obligatio. Nam obligatio illa oritur ex officio Pastoris, & promissione in eo inclusa; Pastor autem supremus potest credere quasi iure acquisito,

& promissione, & curam ouium alij committere, & ita cessat obligatio: idem supra agentes de lege naturali diximus in voto, & matrimonio rato. Solemnitas autem voti non est de iure diuino, & indissolubilitas matrimonij, si aliquo modo est maior in lege noua, solum est in matrimonio consummato, & illa omnino indispensabilis est, & ita patet ad omnia exempla posita in primo argumento.

6. Ad secundum verò argumentum respondeo talem dispensationem non fuisse vtilem futuram Ecclesie, quia præcepta diuina positiua sunt paucissima, & facilissima; & propterea multò magis commodum est, vt immutabilia semper retineantur, quam quod potestas sit in illis dispensandi, ad euitandum in aliquo rato casu aliquod incommodum priuatum.

7. Potest Pontifex autoritate diuina dispensare, & relaxare vota, & iuramenta, sed hoc non est propriè dispensare in lege noua diuina: solum est cedere iuri Dei quæsitio ex voto, vel iuramento, per autoritatem quam habet ad talem concessionem, tanquam eius œconomus, seu dispensator.

RESOL. III.

An Pontifex possit dispensare in his, quæ statuta sunt à iure Canonico postremo.

Et an possit Pontifex dispensare in legibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum imò, & in Concilio includenti ipsum Pontificem?

Et an possit feri lex in Concilio, quæ sub mortali obligetur Pontifex ad non dispensandum ex vlla causa?

Et an in lege, & præceptis Apostolorum Papa dispensare possit?

Et ex doctrina huius Resolutionis aliqua alia notabilia inferuntur, & explorantur. Ex parte 8. tract. 3. Resol. 3.

§. 1. Respondeo affirmatiue ex capite proposuit, de concess. præben. Dico igitur, quod Papa potest dispensare in legibus Episcoporum, & aliorum Prælatorum; quia inferior potestas non obligat, nisi cum subordinatione ad superiorem, & cum dependentia à superiore. Idem est de equali in eadem sede & iurisdictione; qualis est successor: quia, moraliter loquendo, idem censetur. Sic Pontifex dispensare potest in toto iure Canonico: quia ipse est equalis suis Antecessoribus, imò & Concilio includenti etiam ipsum Pontificem; maior verò Concilio solo, & sine Pontifice sumpto. Idem docet Coartruuas part. 4. cap. 6. §. 9. numer. 6. Turrectemata 3. summa, cap. 52. & 53. Valquez disput. 178. cap. 2. numer. 15. Viualdus append. ad candelab. cap. 12. à numer. 17. Victoria relect. de potest. Papa, numer. 4. & seqq. Glossa cap. ubi periculum de elect. in 6. Panormitanus c. significasti, de electione, & alij multi, quos referunt, & sequuntur Valquez supra, Azotius tom. 1. lib. 5. cap. 15. quæst. 5. qui cum alijs merito carpit Victoriam supra prop. 12. affirmantem posse fieri legem à Concilio, quæ sub mortali obligetur Pontifex ad non dispensandum vlla ex causa. Nam Concilium nullam potest legem condere, quæ Papa auferat potestatem dispensandi validè in illa, etiam sine causa, aut licitè, cum affuerit causa, quæ in omni lege positiua contingere potest. Neque potest definire Concilium nullam talem causam contingere posse. Et esto & finiret, & esset verum; tamen tunc non lege Concilij, sed diuina ligaretur: vide Viualdum append. ad candelab. cap. 12. numer. 20. & Cordubam l. 4. quæst. 8. qui tamen nimis fauet Victorie.

2. Addit Cordub. lib. 8. q. 8. & 9. etiam illos, qui dixerunt, Concilium esse supra Papam, non fuisse autos negare, Papam posse in legibus Concilij dispensare: quia videlicet cum Concilia non semper existant, expedit ad bonam gubernationem Ecclesie: vt in eorum legibus Pontifex dispensare valeat, qui semper moraliter adest. Et ita in ea sententia esse dicendum, ait Victoria *supra prop. 14.* Sed negat in ea opinione posse irritare omnem legem Concilij, quia in re non loqui consequenter, ait Corduba *lib. 9. quest. 9.* Addimus & nos, Pontificem posse dispensare in quacunque lege Apostolica humana, vt optime docet D. Thomas *quodlib. 4. artic. 13.* Victoria *relect. de potest. pape.* Covarruias cum multis quos refert, 2. part. 4. cap. 6. §. 9. num. 6. Nam vt ait Molina *tract. 1. de iust. disput. 5. in princip.* ius posituum diuinum est, quod à Deo in se vel humanitate sua de iis, quæ ad naturale ius non spectant, latum est; idque sine ministerio Angeli, siue alicuius alterius suorum seruatorum, vt Moysis, vel Apostolorum condidit. Ius vero humanum sunt reliqua præcepta, quæ homines tulerunt accepta à Deo potestate pro ministerio, & dignitate cuiusque ad leges condendas. Vnde colligitur, præcepta, quæ Apostoli, quatenus Pastores, & Rectores Ecclesie tulerunt, ad ius humanum pertinere: cuiusmodi sunt præcepta de ieiunio Quadragesimæ, de obseruatione diei Dominice, de bigamo non ordinando, de quo 1. *Timoth. 3.* & alia huiusmodi. In his ergo præceptis Apostolorum Papa dispensare potest, quia potest in omni iure Ecclesiastico: quamuis Apostoli in aliis prærogatiuis, & gratis fuerint excellentiores: tamen in potestate iurisdictionis Pontifex non est inferior illis, etiam Petro, cuius est successor. Et hæc omnia docet Salas *de legibus, disput. 20. sect. 3. num. 16.* cui ego addo Suarez *lib. 10. cap. 14. num. 2.* Pontium de *Mariu. lib. 8. cap. 5. num. 2.* Covarruias. *4. Decret. 2. fo. cap. 6. §. 3. in 6.*

RESOL. IV.

An Pontifex possit directe secum dispensare in his omnibus, in quibus cum aliis potest?
Et an hoc etiam tribuatur Episcopis, Principibus secularibus, & Prælatibus etiam Regularibus? Ex part. 8. tract. 1. Resol. 5.

Respondeo quod Summus Pontifex potest secum directe dispensare in his omnibus, in quibus cum aliis potest. Ita sentiunt D. Thomas in 4. *distict. 20. quest. 1. artic. 5. quasi in cuncta 4. ad tertium.* Syluester *verb. lex, quest. 14. in fine.* Caiet. in 1. *q. 96. artic. 5. col. 3.* & Lessius *lib. 2. de voto, c. 40. dubitat. 17.* & probabile putat Suar. *lib. 6. de voto, cap. 11.*

1. Probatur primo; quia potest Summus Pontifex sibi concedere indulgentias absolundo se à vinculo pene immediate, & directe, vt prælate nobis significauit D. Thomas in 4. *distict. 20. quest. 1. artic. 5. versus finem,* & alij graues Doctores; ergo, & potest secum directe dispensare.

2. Secundo probatur, quia potest secum dispensare in votis à se emissis; ergo in aliis rebus. Antecedens probatur, quia dispensatio voti, nihil est aliud, quam quædam condonatio facta nomine Dei alicui homini per Prælatum Ecclesie, qui in terris gerit vicem Dei, vt optime docuerunt Suarez *lib. 6. de postulat. distinctionem personarum,* nam qui habet à Rege facultatem condonandi omnibus debita, po-

test etiam sibi condonare peccatum debitam Regi; ergo Summus Pontifex potest secum dispensare in votis.

4. Tercio, quia duplex est iurisdic. alia contentiosa requirens partis citationem, & probationem testium, siue coactiua, & punitiua, vt iurisdic. ad excommunicationem ferendam: alia scilicet iurisdic. est directiua, & voluntaria, vt dispensandi potestas. Prima quidem videtur requirere necessariò distinctionem personarum; at Secunda minimè: vnde secundam potest quis in se exercere.

5. Quarto probatur, quia in omni opinione potest Pontifex, & alius superior, cum dispensat cum tota aliqua communitate, in qua ipse est, sicut tali dispensatione, in quo casu indirectè secum, & consequenter dispensat, & vtitur iurisdictione: ergo etiam potest secum directe, & seorsum dispensare, nulla enim inter hæc duo considerabilis differentia apparet.

6. Quinto probatur; quia aliàs peioris esset conditionis, & sortis Summus Pontifex quantum ad hoc, quam alij subditi, quia alij habent hominem, qui possit circa eos directe dispensare, & Pontifex minimè: imò propter has rationes idem tribuit Sanchez *tom. 5. disput. 3.* Episcopis, Principibus secularibus, & Prælatibus etiam Regularibus, quia illi habent in suis subditis Religiosos potestatem quasi Episcopalem. Iuxta Navar. in *summa ca. 12. n. 75.* & etiam idem tribuit habentibus potestatem vniuersalem delegatam in aliqua communitate, cuius ipsi partes sunt. Sed de his infra iterum redibit sermo.

RESOL. V.

An qui habet potestatem dispensandi in lege cum aliis, possit secum dispensare.

Ita vt non solum Summus Pontifex, & Episcopi, sed etiam omnes Prælati, & Superiores Ecclesiastici tam seculares, quam Regularis etiam locales, & illis absentibus vice Rectores, & vice Priores, &c. habentes iurisdictionem ordinariam dispensandi tam in votis & iuramentis, quam in aliis rebus possint dispensare secum eodem modo, quo possunt cum aliis subditis.

Imò, & habentes iurisdictionem delegatam dispensandi in vniuersum cum aliqua communitate, cuius ipsi sunt partes, secus vero quando haberent limitatam potestatem, dispensandi cum certis personis.

Idem dicendum est tam de Supremo Principe seculari, quam de omnibus aliis Superioribus secularibus habentibus potestatem ordinariam, aut vniuersalem delegatam ad dispensandum in rebus secularibus. Ex p. 8. tr. 3. Resol. 16.

§. 1. VI, vt g. in votis irregularitatis, præceptis Ecclesie, &c. Et supponendum dupliciter posse aliquem cum seipso dispensare: vno modo indirectè, vt cum Princeps in aliqua lege dispensat cum tota communitate, indirectè & consequenter intelligitur dispensare cum seipso in eadem communitate contento: sicut cum Pontifex per Iubilæum dispensat cum tota Christianitate, vel cum ipsa vrbis, indirectè & consequenter intelligitur dispensare secum ipse in eadem Christianitate; & vrbis incluso. Alio modo potest quis secum ipse dispensare, delegando suam potestatem alteri, vt secum dispenset. Vt si Princeps suam potestatem in lege dispensandi alicui committat, vt iuxta eam secum dispenset. Sicut cum iuxta aliquos

Sup. his Episcopis, Principibus, &c. in Resolutionibus not. seq.
Infra in deabus Res. seq. & inferius in tr. 3. lege doctrinâ Res. 19. & aliarum eius primæ annot.

RESOL. V.
RESOL. VI.
RESOL. VII.

